

Johann Sleker Erich Hesterberg

Exercitationum Philosophicarum Prima Cuius dissertationes binae: I. Primam Philosophiam Aristoteli, Posteris Methaphisicam dictam ... II. Naturam generis ... tango ...


Rostochii: Pedanus, 1612

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729130940>

Druck Freier  Zugang



F. Leker.
R. U. phil. 1612.



D. T. O. M. A.
EXERCITATIONUM
PHILOSOPHICARUM
Prima

Cujus dissertationes binæ:

- I. Primam Philosophiam Aristoteli, Posteris Metaphisicam dictam: quæ Platoni est Dialectica: Plotino etiam; cujus verba pono. Plutarchum Metaphisicæ æquiores ostendo quàm puter Ramus. Contra hunc perpetuo Philosophantium consensu, & Tavelli rationibus Metaphisicam in scientiarum numero assero.
- II. Naturam generis *ἰσωνεμῶς* tango. Hinc subjecti Metaph: investigatio, rejectis falsis, apertâ verâ, quæ Arist. sententiâ, eaq; contra Timplerum defensâ, Error communis de abstractione Metaph. perstringitur.

PUBLICE PROPOSITA

à

M. JOHANNES SLEKERO

Ph. P. P.


RESPONDENTE

ERICO HESTERBERGIO

Hadelensi.

Habebitur disputatio in Auditorio novo Septentrionali

16. Septembris.




ROSTOCHII
Typis Exscripsit Joachimus Pedanus,
ANNO M. DC. XII

EXERCITATIONUM
PHYSICARUM



Prima Philosophia Aristoteli, posteris Metaphysica dicta. Platonī
Dialectica est; Plotino item; cujus verba pono. Plutarchum Metaphysicæ
æquiozem ostendo, quam putet Ramus. Contra quem perpetuo Philoso-
phantium consensu, & Iavelli rationibus, Metaphysicam in scientiarum
numero assero.

THESIS I.

 *Vi forma cultus in viris, ea nominum apud Philo-
sophos cura est, & merito esse debet.*

2. *Nec facere tamen possum, quin primo hujus
scientia aditu, inq; vestibulo adhuc constitutus, oculo
s tollam ad ea, quibus Aristoteles disciplinam hanc
insignem, & ingredientibus commendatã esse voluit.*

3. *Augustum Prima Philosophia nomen est, quod ei tribuit 1.
Phys. t. 83. 6. Metaph. t. 1. Sed nescio, quid majus est dum absolute
Philosophiam vocat 4. Met. 5. Theologiam, 6. Met. 2. l. 10. c. 7.
Sapientiam. 1. Met. c. 2. ἀρχιωντέτλω κι η̄ραμονικωντέτλω, 2. Meta-
phy. c. 2. & ἠορῆαν 1. Post. c. 7. &c.*

4. *Posteriores, & ipsamet in ævo prisca Sapientia, Meta-
physicam dixerunt; quod nomen apud Plut. in Alex: positam, à
Theophrasto huic disciplina inscriptum, Aphrodicensi, Themistio &c.
tritisimum est, meritog; hæctenus receptum, siue ordinis, siue excel-
lencia, quam Physica comparata, propriam habet, ineunda ratio sit.*

5. *Plato, vel ipse potius Socrates, cum μέγιστον hoc μάθημα
agnosceret, & architectonicam, ac πλειστάτην hanc scientiam præ-
dicaret, principatum disciplinarum omnium, quas in famulatu suo
habeat, ei obtulit; nomen vero idoneum cum aliud non inveniret,
Dialectices vocabulo, timide inscripsit, 7. de Rep.*

6. *Platonis verba alibi relata: quæ si quispiam differendi
huic disciplina (famula scilicet illi) accommoda putet; quid ad per-
fectam insaniam illi deesse tandem existimas?*

7. *Plotinum audiamus, (verè alterum Platonem) Enn. 1. l. 3.
c. 4. Quenam (inquit) est Dialectica? Habitus, qui ratione de uno-
quoq; potest dicere, quid sit unumquodq;, & quo ab alijs differat, quo*

ve conveniat: praeterea, quomodo & ubi sit quodlibet: Et si est, quid est: atq; entia quot sint: & non Entia rursus: sed ab entibus alia. Eadem haec & de ipso Bono disputat. & de non bono: & de his, quacumq; sub bono & qua sub boni contrario. Item, quod sempiternum, quidue non semper, De omnibus inquam, non opinione, sed scientia tractans &c.

8. Et c. 5. Quid igitur Philosophia? praestantissimum procul dubio. Nunquid idem Philosophia atq; Dialectica? Profecto Philosophia praestantissima pars Dialectica esse videtur. Non enim existimandum est, hanc esse Philosophiae instrumentum: siquidem non nudas propositiones respectusq; continet, sed circa res ipsas versatur & quasi materiam habet Entia. &c.

9. Haec Plotinus: ejusmodi sane, ut & gustum quandam securitatis tractationis praebeant, & luculenter confirmant id quod diximus Dialecticam videlicet tantopere antiquis laudatam, ipsamet esse Metaphysicam.

10. Et prodijisse tamen hominem, qui Metaphysicam ex scientiarum erbe proscribere ausus sit? Et reperiri potuisse, qui applauderent, qui sequerentur? imo qui Plutarchum ipsum ad hasce partes vocarent?

11. Αληθώς γάρ (inquit Plus. in Alex) ἡ μετὰ τὰ Φυσικὰ περὶ γρηγορία πρὸς διδασκαλίαν καὶ μάθησιν ἐδὲν ἔχουσι ἡσυχίαν, ἰσχυρὰ δὲ πρὸς ἀποδείξεις ἀπὸ τῆς γέγραπται.

12. Hac κατωχέως in Scholarum Metaph. proæmio cum Petrus Ramus male truncasset, (propositionis videlicet hujus predicato integro, plane avulso) neq; ad ea, quae à Plutarcho afferuntur attendit: & qua de Aristotelis tantum scripto Alexandri demulcendi gratia dicantur, ad universam scientiam trahit: neq; Grammatices curam ullam habet, ut contra Hoddaum graviter ostendit praeceptor noster Cornelius Martini.

13. Simonides quidem Coae poëta Lyricus, Scientiam hanc in dubium vocasse visus est, 1. Metaph. c. 2. At sic tamen ut ratio ejus cognitionem verum à materia separatarum cum leviter stringat, ab alijs, quae Metaphysica sibi propria ducit prorsus aliena sit: contra qua, Simonides nec ausus quicquam nec potuit. Enim-

14. Enimvero, post natam Philosophiam frequens apud omnes fuit de Ente, uno, vero, bono, causis, &c. meditatio. Quod de Thaletae ac Pythagora cum non obscurum sit, In Platone ac Socrate, etiam hac meridiana luce clarius est.

15. In Sophista quippe & Entis aliquot definitiones proposita sunt; & quinque Entis quasi asserta genera: non Entis etiam introducta consideratio, ut ejus remotione ad veram τὴν ὄντος naturam aditus esset paratior.

16. In Parmenide vero, postquam unum cum Ente converti, ostendisset, Zenonem inducit, qui Unum in sensibilibus esse, probet: Socrates ulterius, idem in Intelligibilibus docet: Parmenides tandem in illis etiam qua supra intelligibilia sunt, unitatem defendit.

17. Omnem illam Aegyptiorum (qua in Hieroglyphicis) disciplinam meliore sui parte, qui Metaphysicam dixerit, haud longe errabit.

18. Aristotelis vero disputationes, qua illi cum antiquis intercedunt, hujus generis esse, statim ex 1. Phys. patet: ubi Metaphysica indutus habitu, sententiam eorum, qui omnia faciebant Unum Ens, duobus refellit argumentis, ex multiplici videlicet Entis ratione, & varia Unius acceptione deductis.

19. Frustra hic & inepte Aristoteles primam Philosophiam appellavit, tribunal ejus adierit; nisi Parmenides & Melissus, illius & uti foro consueverint, & supremam in dijudicandis controversijs auctoritatem agnoverint.

20. Quae vero Aristotelem secuta est aetas, hanc Metaphysica disciplina hereditatem, per varias, gentes, nationes, familias, serie nusquam interrupta, transmisit, usque dum ad P. Ratum res devoluta est, cui haud satis fuit, possessionem ejus non adijisse; odisse etiam voluit. Neque hoc satis; etiam ut notham, traducere ausus est. Imo convocatis quasi ad pileum νεροπόλεως quibusdam, ex scientiarum hoc orbe sublatam penitus voluit.

21. Et fecit profecto, ut Metaphysica tractationem, aliquo tempore pressam, adire cuiquam fas haud fuerit, nisi ea de re, in ipso vestibulo, cum Ramo fuisset acriter pugnatum.

22. At vero hodie (qua Veritatis & Temporis vis est) numero-
so exercitu non est opus. Repertum enim Rami crimen habent,
etiam ij, qui hactenus in ejus castris: ut ea causa domestica seditione
afflictum, contemnere tuto possimus. Questionem interim ipsam (An
sit Metaphysica?) sic agitare, ut necessitatis ejus demonstratione, uti-
litas ejusdem resulgeat, non sine illustri quodam dignitatis primordio.

23. Eleganter in ea re versatus Javellus i. Metaphy. cr. i. cau-
sam peregit tribus argumentis, ex ratione videlicet Intellectus nostris
ex conditione ipsarum rerum; & demum ex reliquarum scientia-
rum, qua huic subordinantur, indigentia.

24. Postremam hanc Thoma verbis deducere placet, ex ii.
Metaph. lect. i. Quia particulares scientia, quaedam eorum qua perscruta-
tione indigent, praetermittunt; necesse fuit quandam scientiam esse
universalem & primam, qua perscrutetur ea, de quibus particulares
scientia non considerant. Talia v. sunt tam communia, qua sequun-
tur Ens commune: qua non magis ad unam (particularium) perti-
nent, quam ad alteram, sed ad omnes communiter: quam substan-
tia separata, qua excedunt considerationem omnium particularium
scientiarum.

25. Prima v. secundae rationis firmitudo in his est, Quod
Intellectus nostri perfectio, in rerum contemplatione posita sit, qua ho-
mo è brutorum caveis, opificumq; officinis exemptus, per gradus pru-
dentia civilis transiens, caelestibus genijs affinitate jungatur, ipsumq;
τὸ πνεῦμα πνεύμα (ut Trismeg. dicebat) amuletur.

26. 2. Quod ad perfectionem hanc consequendam, naturali quo-
dam cognitionis desiderio excitetur: adeoq; non emolumentum causa, sed
propter ipsius scientia amorem, in ejus complexum feratur.

27. Nihil ergo earum, ex quibus iste animi cultus efflorescit,
relinquere potest, cum ad omnes feratur: multo minus ea, qua supra
materia conditionem posita, cognitione quadam simplicitatis, abstra-
ctionis, divinitatisq; Intellectum ipsum propius attingunt: & sine
quibus omnis ille humanitatis (ut Cic. 5. fin.) cibus in reliquis scienti-
is in spidus est.

DISPU.

DISSERTATIO SECUNDA.

Natura generis *ἡμετέριος* quæ: hinc subjecti Metaph. investi-
gatio, rejectis falsis, assertâ verâ, quæ Arist. sententiâ, eaq; contra Tim-
perum defensa, Error communis de abstractione Metaph. perstringitur

THESIS. I.

TRia sunt cujusq; demonstrationis & Scientiæ, (ut Tomitanus lo-
quitur) momenta: Subjectum videlicet, de quo aliquid cognosci-
tur; affectio, qua cognoscitur; & causa, per quam de subjecto cogno-
scitur affectio.

2. His vero quamvis scientia, qua scientia, plene inimeq; con-
sistatur; tamen in scientia Totali, quatenus tota est (plurium vide-
licet conclusionum demonstrationumq; ordinata serie constructa v. g.
Physica, Metaphysica) specierum accedis consideratio: non perfun-
ctoria quidem illa aut suæ, deq; habenda; sed qua ad distinctam ipsius
subjecti cognitionem (qua scientia universa scopum præ se fert) ex-
quisitè pertineat.

3. Singula hæc, cum mutuum inter se respectum habeant; le-
gibus insuper propositionum apodicticarum devincta sunt: de qui-
bus 1. Post.

4. Omnium fundamentum, est *τὸ ἐν ᾧ ἡ ἡμετέριος*. De cujus
natura & conditionibus cum plurima variaq; differant Scot. q. 3. prol.
Flandr. 1. Met. q. 1. a. 5. Gometius, Malafestus, quæst. de hac re, &c.
nos breviter, subjectum agnoscimus, quod sit Ens per se, reale, affectio-
nes de se præbens scientificè demonstrabiles: quodq; principia, affe-
ctiones speciesq; illius scientiæ, complexu suo adequate foveat: ita qui-
dem ut neq; horum quicquam omitat, nec admitat alienum: omnia
ex sese promat; omnia ad se revocet: adeoq; in tanto rerum & de-
monstrationum diversarum cumulo, Unitatem Scientiæ largiatur.

5. Quo posito; anticipatione quadam, affectiones & species, qua
omnium hominum consensu Metaphysicæ tractationi debentur, obi-
ter hic perlustranda sunt: Quarum cum maxima se latitudo statim
offerat; primo verum esse deprehenditur, quod de communitate huius
scientiæ vulgo etiam jactatur: Tum v. rectissime colligitur, subje-
ctum

Etum ejus adequatum, non, nisi communissimum quoddam, (sive quis generalissimum dici velit: ego hanc Simonij cum Schegkio litem, meam non facio) reale tamen & ab equivocacione alienum esse oportere.

6. Excluduntur hinc ergo Entia rationis, quae per se neq; sunt, nec causam habent, nisi fictionum Intellectus: Sicut & objective tantum in Intellectu harent; nullasq; cum Ente reali participant affectiones: Sed ne ullas quidem ex se habent.

7. Eadem ferme ratione Arist. 6. Met. 1. 4. removet Entia per accidens. Cum quae rei accidere possint, infinita ferme sint: nec in scientia considerationem veniant, propter in determinationem suam & equivocacionem, quam respectu veri Entis habent.

8. Neq; errore vacat, si quis cum antiquis (ut eis tribuit Iavel-
lus) causam; vel cum Alpharabio (refert Alb. in pref. Metaph.) Deum; vel totum deniq; abstractorum genus, pro subjecto Metaph. venditet. Principiorum quippe, & affectionum latitudo major est, quam ut horum subjectorum angustijs coerceatur.

9. Idem Buridano respondemus, qui substantiam, exclusis accidentibus pro subjecto habet. Idem Flandria: cui placet Ens in 10. Praedicamenta divisum, remoto videlicet Deo: quem neq; praedicatorum in ordinem redigas, neq; tamen Metaphysica territorio, contra omnem omnium Philosophorum sententiam, excludas. Idem Piccol. grad. 5. & Duodo l. de habitibus: qui aliud Ens (compositum nempe) faciunt subjectum; alteri, rationem principij, largiuntur: neq; tamen illam, qua moventur, de identitate Principij & subjecti, difficultatem tollunt & affectionem de non adequato subjecto demonstrare coguntur.

10. Hac considerata vulgariter, communem preperere assertionem quam conceptis verbis 4. Metaphy. 1. 1. ponit. Arist: Ens nimirum, in tota sua latitudine, quatenus Ens est (quomodo & Deum complectitur) verum esse Metaph. subjectum. Quandoquidem principia affectionesq; generalissima, non, nisi huic subjecto competant adaequate: ut hanc ob causam Prima Philosophia, Sapientiaq; dignitas, huic scientia merito ascribenda sit. Com-

11. *Communis hac sententia, communem secum trahit errorem: cum Deum & Intelligentias, non tantum, ut Entia sunt, sed etiam sub propria ratione, in Metaph. considerandas statuunt. Imò, quasi tantum de his agi debeat, Metaphysicam facit, de abstractis secundum rem & rationem à materia. Utrumq; falso. Generale namq; subjectum, generalissimo considerandi modo formatum, quomodo ad rei alicujus particularis, sub ratione particulari & propria sese considerationem demittat? salvis nempe demonstrationibus, quibus scientia devincta est, legibus: quibus neq; circumscriptos subjecti terminos egredi licet; neq; ex propositionibus universalibus, (sublata nimirum adaequatione) particulare quicquam demonstrare datum est: nec variato considerandi modo, adeòq; mutato subjecto, scientia unitatem salvam tueri potis est.*

13. *Et quomodo Metaph. de abstractis secundum rem & rationem à materia, tantum agat? cum materiam ipsam, ejuq; essentia rationem quam suscepta formâ constituit, accidentia item per 9. predicamenta distributa, (qua materiata substantiam præcipuè comitantur) tractet; idq; non per functionem, ut Conimb. velle videntur sed præscripto scientia; quatenus subjecti Metaph. species sunt, & in communionem principiorum affectionumq; veniunt.*

14. *Quod cum maturè satis in schola Philosophantium esse animadversum; Thomas in præf. Metaph. rationem iniens tollenda hujus difficultatis, ait, quod à materia secundum rem & rationem separari dicantur, non tantum ea, que nunquam materia sunt juncta; sed illa etiam que licet à rebus materiatis aliena non sint, necessariò tamen illis non incumbant, eò quod in immateriatis etiam reperiantur.*

15. *Hac ergo cum Indifferentem se habeant ad utrumq; & ab utroq; (materiatis & immateriatis) abstrahi ex æquo possint; Avicem. 1. Met. c. 2. Averr. tract. 1. Ep. genus hoc abstractionis vocarunt per Indifferentiam. Non incommode hercules, neq; ad rem ineptè: nisi ineptam Scholasticam conclusionem magno veritatis incommoda hinc extruxissent.*

B

Qua

16. *Quæ enim consecutio hæc? Ens Metaphysica subjectum, omnesq; ejus affectiones indifferenter se habet ad materiata & Immateriata, ergo ens Metaphysica subjectum, est secundum rem & rationem abstractum à materia.*

17. *Et quidni eodem jure sic ego concludam? Ergo ens Metaph. subjectum non est secundum rem & rationem abstractum à materia.*

18. *Ad utrumq; n. quia generalitati suæ (ut debet) relictum, se indifferenter habet; non magis certè uni sese differentia astringit quàm alteri. Neq; in ipsa tractatione causa dari potest ulla, cur ad hanc speciem sub propria ratione cognoscendam potius descendat, quàm ad alteram.*

19. *Aut ergo utriusq; curam eam habeat, quàm subjecti ratio imposuit: quemadmodum Physicus de corpore simplici & mixto agit de animato item & inanimato; de rationali & irrationali; nimirum quod subjectum ipsum differentias hæc, ex æquo complectatur. Aut ab utraq; abstineat.*

20. *Nobis Metaphysica esto Scientia Entis quatenus Ens, & qua ei hæc considerandi ratione per se insunt principiorum, affectionum & specierum.*

21. *Scientia inquam esto Entium realium, & per se, tam materialium quàm abstractorum, quatenus Entia sunt: quæ generali hoc considerandi modo ditata, ad particularem Dei & intelligentiarum contemplationem sub propria earundem ratione, nequaquam divagetur: cujus abstracti modus (si quis hæc multiplicandarum scientiarum cum Thoma viam insistat) sit Secundum Indifferentiam.*

22. *Non ergo Metaphysica est omnium scientiarum confluxus: cum ab alijs omnibus interna sui subjecti forma, & peculiari abstractionis ratione sit distincta.*

23. *Communissima tamen Scientia erit, quæ circa res omnes versatur, etiam particulares: sed non in particulari; seu Quatenus proprias quasdam rationes obtinet, ex alio considerationis modo efflorescentes.*

Qua

24. *Qua* in re dextrè accipienda, vocum reduplicantiù (Quatenus Ens) permagna commoditas est; quam minus sibi perspectam magno testimonio Timplerus confirmat, cum ita adversus Aristotelem insurgit Ens quatenus Ens, Metaphysica subjectum non esse, quia multa sub ratione substantia, accidentis, veri, boni &c. in eadem considerentur.

25. *Aut* hic aut nusquam meritis est, ut Lavateri sui iudicio Philosophus magnus, acutissimus, admirabilis habeatur, & prope unum. Quid autem si mihi videatur argumento isto novam Timpleri Metaphysicam, si ei quispiam impingat, ruituram? Annon n. multa hic sub ratione nihili, privationis, negationis, loci, durationis ab eo disputata sunt, & tamen subjectum hic statuere ausus est, Ens Quatenus Intelligibile.

26. *Et* nunquid ullum ullius scientia subjectum hoc argumento consistere possit, aut novum aliud construi queat? In Physica certe cum Cælum, elementa, corpora mixta, homo &c. sub proprijs rationibus, qua Cælum, homo, &c. considerare oporteat, quomodo Timpleri iudicio Corpus naturale ei subjectum erit?

27. *Nimirum* quam aliter ille gentis vel sectæ ejusdem, Cornelio Martini erambem apponere quondam ausus est, hanc nosler tanto recoquit cum applausu, scilicet Lavateri.

28. *Quibus* reponimus hoc, quod dissertationis hujus caput erat: Totius inquam scientia rationem eam esse, qua demonstrationis unius: mutuog. respectu, & propositionum apodicticarum lege, sibi invicem esse devincta, subjectum, principia & affectiones; quem nexum & respectum formale illa ratio, (cui reduplicationis particule inserviant) subjecti insinuet: ut verissime à Trombetta dictum sit, Subjectum in scientia non tractari, juxta conceptum sui ipsius precisum; sed (ut Cajet) quatenus res scibilis est, & ad affectiones illas refertur, qua principiorum interventu, de subjecto demonstrari debent.

29. *Ita* nempe ex subjecto (secundum illam rationem considerandi) omnia, qua in tota scientia tractantur, fluunt, omnia in illud
reducuntur.

reducuntur; ut nihil omnino in scientia illa tolerandum sit, quod illius subjecti non sit: i. e. quod vel ejus principium, vel affectio, vel species non sit.


30. Quia ergo subjecti ratio relationem ad hasce partes scientiæ sibi insitam habet, fieri aliter non potest, quàm ut de corpore acturus Physicus, naturam aggrediatur, motum item, calum, aërem, hominem. Quia Natura hujus subjecti, principium est; motus, affectio; aër species.


31. Huc & gravitas spectat, & vita, animati inquit corporis affectio. Licet enim corpori naturali non competat, in generali illa notione, qua à speciebus omnibus avulsum, omnes ex aquo respicit: competit tamen qua corpus animatum corporis naturalis species est.

32. Sic ergo Metaphysicus verum, bonum, substantiam &c. considerat, quoad proprias & formales earundem rationes; quia secundam eas, affectiones & species Entis sunt.

COROLLARIA.

1. Metaphysicæ definiendæ genus non est Ars.
2. Metaphysicam dicere sapientiam, non repugnat illi, qui dicat scientiam.
3. Principia & affectiones Metaphysicæ negari non possunt, si scientia esse debeat.
4. Principiorum rationem Deus & Intelligentiæ hinc subire nequeunt.
5. Instrumenta sciendi, vel tale quicquam tradere, munus hujus scientiæ non est.
6. An inter scientias omnes, appetitu naturali præcipue consideretur? problema est.
7. Et hoc etiam; An Aristoteles eam vera Methodi via & ordine profecutus sit?
8. Et hoc; num ante vel post alias scientias addiscenda?





lud contineri quod voce unius exprimitur, & af-
nit, superiori disp. th. 49. & seq. constitutum es-
set, nempe unum non esse Indivisionem sed Ens
ficatu videlicet adequato. Indivisionem vero
Entis rationem, Enti superadditum, rationem un-


38. In Unitatis autem notions cum duple-
ceptus, 1. Entitatis indivise, 2. privationis Enti ju-
ri possit, Nunquid unum primò dicat Ens, vel i-
primum illum conceptum secundo anteposimus
quod superiori disp. th. 36. jam ante constitutum

39. Quibus recta ratione comparatis faci-
inquit Arist: Unum non esse prater Ens: uniu-
esse naturam, propterea quod se invicem sequantur
una ratione significantur: 4. Met. t. 3. & quod
aut simpliciter, aut prout est unum, indivisibile e-
Ego enim qua unus sum, individuus sum, neq. s-
quemadmodum homo universale, ut in aliis homi-
Qua vero sum quantus, dividuus sum. &c.

40. Neq. obscurum esse potest, quàm plane
rationes Timpleri l. 2. c. 3. q. 11. eò quod unum non
vel indiviso: sed Ens indivisum. Et (verba
absurdum non sit, tribuere Deo nomina privati va-
imperfectiorem significant, cum id, cujus absenti-
fectionem importet.

41. Imò vero, si extraens consideretur un-
nem non designati: ita omnem quam habet, ab En-
etiam respectu magis & minus accipit: Et omnino
ipso, quatenus ens, vel tale Ens, simplicitatis vel
fectionis vel imperfectiõis est, id omne unitati rat-
cum Ente, commune est.

42. Ex eodem hoc fundamento enascitur, qu-
respondendum est: In quibus ut pleraq. recte dici
concluditur, veritati sententiæ propositæ nequaqua-



the scale towards document

077

Image Engineering Scan Reference Chart TEX3 Serial No.